



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.2. Peroratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

tantam, ut peccatum expiet. Ad hoc in crucem agendum fuisse Deum, in infinitas clades hominem, etiam in hac vitâ, Incredible odium Dei in peccatum audisti.

§. 2. *Peroratio.*

Quibus probè intellectis, éstne nunc hærendi locus? est gutta sanguinis? est sensus in venis, qui non stupore, formidinéque obri- gescat? Quo non æstu rapi, in quam admirationem non venire debemus amentia, stuporis, furoris, hominum, horrificæ rerum ignorationis? Quid dicis de te ipso? ubi nunc es? quomodo non exclamas? O me miserum! quid egi! egóne? O infelicem! quàm immensum pondus malorum! quàm omni ex parte infinitum! quàm sine numero! quàm sine fine? & quorsum? momenti gratiâ? Credam hoc? ego unius horulæ causâ, quæ præterit, quæ evanuit? quid dico? quæ nunquam præteribit, dum ero. Ego Christianus hoc feci? momentum æternitati prætulî? & quoties? & quàm diu? O stultum! ô amentem! ô furiosum! violata ergò, pessumdata, funestata virginitas mea, amissa innocentia, pudor ereptus, Deus abjectus, perdita omnia? Quàm pauca dixi? Heu me, quid dicam? nesciebam ista? toties monitus à Deo: foris, intus, ubique. Ignorabam Christum? Re-

dem

demptorem, Creatorem, Servatorem? tot
ejus beneficia, tot curas, tantam providen-
tiam, misericordiam tantam, & justitiam
tantam? an fulminantem in omnes justum-
que, putabam me unum præteriturum?
Quid dicam? quò me vertam? Ah! dilectissi-
me fili, quid? lacrymæ tuæ, suspiria, gemitus
quæruntur. Hic, hinc. Ne longiùs abeas, in
hanc chartam effunde. Curre, festina, dum
tempus est. Ego te, per quicquid tuum est,
æternum, & caducum; quid ego? tuus, tuus
te Christus, tua salus, tua æternitas, tua om-
nia hoc petunt. Si te amas, si vitam hanc, si
salutem; age, quanto robore poteris, in-
conculso decreto exere vires mentis omnes,
ut horrorem, ut odium, ut iram, ut immor-
tales inimicitias concipias. Dic, dic: Veniant
catastæ, equulei, flagella, scorpium; non com-
mittam. Nunquam, in æternum non com-
mittam. Sit tibi hoc in mente, sit in corde, sit
in oculis, sit in lecto; sit in ludo, die noctêque
fixum, irrefixum, NON PECCARE, & si peccâ-
sti, peccato non inhærere. Fuge colubium,
fuge mortem, fuge flammam: insequuntur,
instant, post tua terga; respice immensas, in-
finitas, æternas. Fuge, fuge, inquam. Sodomam
ardet & ardebit. Fuge in montes, fuge quò

non accedat hæc lues;fuge ocyùs,dum licet.
Citò,citò.Longè,longè.

§. 3. EFFATA.

Quid prodest homini , si mundum uni-
versum lucretur, animæ verò suæ detrimen-
tum patiatur? aut quam dabit homo com-
mutationem pro animâ suâ?CHRISTUS.

Ducunt in bonis dies suos , & in puncto
ad inferna descendunt,Job.

Non est ludus hæc vita ; aut si est ludus
hæc vita,non est ludus & altera vita. CHRY-
SOSTOMUS.

Nulla satîs magna securitas , ubi pericli-
tatur Æternitas.GREGORIUS M.

Festinare debet unusquisque ad Deum
pœnitendo; ne, si dum potest, noluerit, cum
tardè voluerit, non possit. ISIDORUS.

Qui pœnitenti veniam promisit, peccan-
ti diem crastinum non spondit. AUGUST.

Fallax est hic mundus , finis dubius, exi-
tus horribilis, iudex terribilis , pœna inter-
minabilis. CHRYST.

Quid stupemus? ubi sumus? quis iste, qui
nos eludit, somnus? quæ est ista, quæ nos te-
net, lethalis oblivio? Quare non cælo muta-
mus terram? quare non caducis emimus æ-
terna? quare non perituris manentia compa-
ramus? CHRYSOLO, CON-